

dixit de illa curia, ubi monachi sunt, i. e. quae est inter porticum et porticum. Et hoc notandum est, quia multa sunt, quae dixi, quae quantum ad exteriorem hominem attinent, in claustra non possunt fieri, veluti est, mortuum sepelire aut infirmum visitare. Sed tamen omnia, in claustra possunt fieri, quantum ad interiorem hominem attinent, i. e. si voluntas fuerit alicui in corde id agendi. Et ideo si infirmum infra claustram non possunt visitare, quia domus infirmorum non est infra claustram, tamen infra claustram possum visitare, si voluntas mihi fuerit visitandi. Similiter et in caeteris officiis ita intelligendum est.

Cap. V.

DE OBEDIENTIA DISCIPULORUM, QUALIS SIT.

Rectum ordinem tenuit B. Benedictus in hoc loco, cum dicit, primum gradum humilitatis esse obedientiam, cum superius dixit: *De Dei misericordia numquam desperare*, eo quod per obedientiam nos ad Dei misericordiam revocat, a cuius bonitate per inobedientiam recessimus. Et ideo primum instrumentum obedientiam posuit, quia, sicut fuit prima malitia inobedientia, per quam recessimus a Deo, ita primum gradum dixit esse revertendi ad Deum, cum primum instrumentum posuit, obedientiam. Cum dicit de obedientia, subaudiendum est: tractemus aut disputemus. *Humilis* autem dicitur quasi humo acclinis. Nam sunt multi, qui, quamvis in coelum respiciant, tamen caput ante Deum inclinant, eo quod cinerem et pulverem se esse existimant, quia unusquisque homo in terram revertitur et in cinerem redigitur.

Sequitur: *Primum humilitatis gradus est obedientia sine mora*. In hoc enim loco, cum dicit primum, oritur quaestio, quare dixit primum, cum non sequitur secundus. Sunt enim alii, qui dicunt, primum in hoc loco positum esse pro magnitudine vel pro solo, veluti est illud: Primum quaeritur regnum Dei. [Primum ponitur pro magnitudine vel solo.] Alii iterum dicunt: non potest esse pro magnitudine vel pro solo, quia inferius subsequitur S. Bene-